





31. 1635 421
XXVIII.
24

DISPUTATIO JURIDICA
De
SPONSIONIBUS,

QVAM
Gratiâ Trinunius.

PERMISSU
Magnifici atq; Amplissimi Ictorum Ordinis
in inclytâ Lipsiensi,

PRÆSIDIO
Viri Clarissimi & Excellentissimi
Dn. QVIRINI SCHACHERI,
Phil. & U. J. D.

Publicè ventilandam proponit
GOTHOFREDUS TRÜEB Lipsiensis.
In auditorio Collegii Principum Majoris Majori.

Ad diem 5. Februarii horis consvetis.

ANNO M. DC. XXXV.

LIPSIÆ, TYPIS RITZSCHIANIS.

DISPUTATIO JURIDICA

DE

SPONSIONIBUS

QVAE

GRATIA TRIMINIUS

PER

MAGNIFICI AED: AMPLISSIMI: CANTONIS ORDINIS

IN

PER

VIRI CLARISSIMI & FACULTATIS

DR. QVIRINI SCHACHERI

PHIL. & U. D.

PROBATIONE

GOTTHOFREDUS TRUBER LIPSENSIS

IN AULICO COLLEGII PRINCIPUM MAIORIS

ADMISSIONE REPTURUS HORIS

ANNO M. DC. XXXV

LIPSIÆ, TYPIS RITSCHEIANIS





THESIS I.



Vi Sponsionibus inter mercatores & plebejos nihil ferè est frequentius (a) ita easdem (b) nullo jure (c) prohibitas reperimus.

(a) Testibus Benevenut. Strach. *in princ. sui tract. de sponsi.* & Georg Schulken *in Synops. Inst. tit. de V. O. lit. b.* Quare haud inutilem disquisitionem de iis futuram putavimus *l. certè 6. § 4. in fin. ff. de precar. vulg. l. legavi 25. pr. ff. de liber. leg.*

(b) sc. Honestas.

(c) Non jure civili; contrarium enim expressum est *in l. in quibus 3. ff. de aleat. l. si gratuitam 17. § si quis sponsionis. fin. ff. de præscr. verb. l. à Titio 108 ff. de V. O. l. cum ad præsens 37. ff. de R. C. l. si quis cum debitore 39. ff. de jurejur. l. periculi pretium 5. ff. de naut. fœn.* Non canonico, quia textus, qui tale quid dicat, non extat, quò minus ergò & hoc jure permissæ dicantur, nihil impedit. *l. 25. l. 31. ff. ad Municipal. l. 43. § 1. ff. de Procurat. l. 4. C. de jur. dot. l. 7. C. de Relig. & sumt. fun.* Non Divino; Exemplum namq; reperitur *Judic. 14. v. 12. & 2. seqq.* ubi Simson cum suis sodalibus sponsionem fecit de 30. sidonibus & totidem tunicis, à se ipsis aut ab ipsis sibi præstandis, si propositum problema: de comedente exivit cibus &c. solverint, aut non solverint. Non Saxonico, *arg. art. 6. & 7. lib. 1. LandR. art. 101. Weichbild.* Quod etiam confirmatum est à Serenissimo nostro Electore Sax. *in Policenyordn. lit. marg. Spiel/incip. Ebner massen f. m. 75.* Non consuetudine, quæ cum quoad hoc punctum sit notoria, non probanda, *arg. tit. C. ut quæ des. adv. & al. quæ allegat. Trentl. vol. 1. disp. 1. § 9. lit. b.* sed potius, prout

pro diversitate locorum aliter aut aliter est recepta, tanquam optima juris scripti interpretis *l. 37. ff. de ll. probè attendenda* erit. Nec desunt rationes, quibus sponsiones comprobantur, siquidem quilibet rerum suarum est moderator ac arbiter *l. 21. C. mand. & justum est, sua cuiq; committere l. nemo 9. C. de jud. & cælic.* Econtra valdè iniquum, ingenuis hominibus non esse liberum rerum suarum administrationem, *l. 2. si à parente quis manum.* nec quicquam æqvitati naturali tam conveniens, quam voluntatem Domini, volentis rem suam in a- um transferre, ratam haberi *l. 9. § 3 ff. de A. R. D. præsertim,* cum dubius sit fortunæ eventus, & id licitum reddat, quod ali- as reprobatur, *c. in civitate 6. ibi nisi dubium, c. naviganti fin. de usur.* Hinc etiam secundum eas in dicasteriis & scabinatibus, attestantibus Dd. semper pronunciatum est. Ita enim inter mercatores Florentiæ judicari sæpius se vidisse testatur Paulus de Castro; quem refert & sequitur *Schneid. ad § sub conditione 4. J. de V. O. n. 15.* In Dicasterio Jenensi idem observavit *Wehner. observ. suar. pract. lit. W. ub. wetten princ.* Quoad Sca- binatus Lipsiensem & Witebergensem testes sunt *Forster. tr. de domin. c. 8. n. 149. Petr. Heig. p. 2. q. 10. n. 56.* quos unà cum a- liis allegat, suumq; calculum illis apponit *Georg. Schulz cit. loc.* De collegio juridico Jenensi testatur *Andr. Scheffer. p. 1. pr. quest. 34. n. 1. & 11.*

I I.

Sponsio (a) ab eo quod sponte ineatur dicta, (b) est conventio (c) quâ inter duos pluresve (d) certa pecunia (e) in eventum conditionis (f) honestæ, victori præstanda (g) promittitur (h) aut deponitur (i)

(a) Sponsionis vocabulum esse *πολύσημον*, & modò generaliter pro quavis promissione, sive pacto, sive stipulatione facta sit, usurpari *ex l. sponsio 7. ff. de V. S. elucet,* quamvis interea non negetur, ejus usum crebriorem esse in stipulationibus, & de pro-

de promissore, qvi ad interrogata stipulantis promittit, accipi
t. t. ff. §. 1. 2. & seqq. J. de V. O. Interdum tamen in specie su-
 mitur, & restringitur ad sponfos, qvi sibi futuras spondent uxo-
 res *l. sponsalia 2. ff. de sponsal.* item ad eos, qvi sponte, non roga-
 ti pro aliis intercedunt, Angel. *in rubr. J. de fidejuss. n. 4.* Aliam
 acceptionem hujus vocis notat Budæus *ad. l. 2. de O. J.* quando
 nim. actor & reus olim decimam partem litis deponebant,
 mulctam videlicet temerè litigantis futuram, *§ 1. J. de pæn. tem.*
litig. Græcis παρακαταβολή h. e. depositum s. fatiscautio, dice-
 batur, Goedd. *ad. d. l. 7. de V. S. n. 2.* Sed harum significatio-
 num nullam sponsioni, qvâ de impræsentiarum agimus, com-
 petere, definitio à nobis modò proposita, ostendit. Cujus se-
 des ordinaria est *in d. l. in quibus 3. ff. de aleat. & d. l. 17. § fin. ff.*
de præsc. verb. Et aliàs vocatur conditio, *Strach. d. tr. p. 1. n. 6.*
 Conventio, *idem ibid.* Promissio, *id. d. l. & ab eo alleg. Ias. in l.*
à Titio 108. de V. O. Promissio reciproca, *Gometz. tom. 2. var.*
resol. c. 11. n. 4. Stipulatio conditionalis, *Schneid. cit. loc.* Con-
 ditionalis conventio, *Matth. de Afflict. decis. Neapol. 389.* Ger-
 manicè eine Wette/ wetten/ Chil. König. *in suo process. c. 58.*

(b) Goedd. *ad. d. l. 7. de V. S. n. 16.* Spondere enim idem
 est, qvòd sponte dicere, dare, ac promittere *id. d. l.* hinc spon-
 siones, qvæ non sponte factæ, sed vel dolo, vi, metu, aut capta-
 tione extortæ sunt, uti hoc nomine propriè loquendo indigi-
 tari non possunt, ita etiam de jure non valent, ut infra de-
 monstrabitur.

(c) verbum conventionis generis loco poni libuit, tum 1.
 qvia est verbum generale, ad omnia pertinens, de quibus ne-
 gotii contrahendi transigendiq; causâ consentiunt, qui agunt
l. 1. § 3. ff. de pact. tum 2. qvia rectè quadrat ad trium generum
 summorum unum, actum nim. *in l. Labeo 19. ff. de V. S.*

(d) nemo enim sibi solus promittere, aut legem imponere
 potest, *l. 51. ff. de recept. arb. l. 7. § 8. ff. de donat. int. vir. & uxor.*

(e) *l. 2. § 1. & l. seq. ff. de aleat.* Pecuniæ vocabulo scil. ge-
 nera-



neraliter sumto, sub quo tam pecunia numerata, quam aliæ res quævis in commercio existentes comprehenduntur, *l. 178. pr. l. 222. § l. 97. ff. de V. S.*

(f) ita ut hoc nomine veniat & tempus præsens & præteritum, *l. cum ad præsens 37. ff. de R. C. l. conditio 100 de V. O. secus atq; in tit. de condit. § demonstrat.* hæc vox pro re futura saltem usurpatur. Nec refert, utrum conditio affirmativè an negativè concipiatur, sicut exempla probant, *vid. l. 5. ff. de naut. fœn. l. 137. § 7. de V. O.*

(g) quæ præstatio fit vel dando, h. e. dominium in victorem transferendo *l. ubi 75. § fin. ff. de V. O. l. 167. de R. J.* vel tradendo rem h. e. possessionem, & sic usucapiendi conditionem præbendo *l. 28. ff. d. t. de V. O. § l. traditio 20. ff. de A. R. D. vid. l. ab emtione 58. ff. de pact.*

(h) mediante vel stipulatione, *ut in d. l. 108. de V. O. vel nudo pacto, l. si quis cum debitore 39. de jurejur. d. l. 5. § 1. de naut. fœn.*

(i) textus est *in d. l. 17. § fin. ff. de præsc. verb.*

I I I.

Divisiones Sponsionum, si quæ dantur in Jure
(a) illæ censendæ sunt, ubi à formâ s. modo, quædam interveniente stipulatione, quædam nudo pacto, quædam verò rei depositione fieri dicuntur (b) vel quod aliæ sint mutux s. reciprocx, aliæ vero simplices (c)

(a) Divisionem enim Sponsionum in honestas & inhonestas pro legitimâ non agnoscimus, quippe, cum has jura non modò non admittant, verùm etiam cum interminatione pœnæ prohibeant *d. l. 3. de aleat. arg. l. ult. C. eod.* frustra igitur de iis, quarum effectus in jure nullus est, quæritur, *arg. l. 1. ff. quod quisq; jur. l. 5. C. quom. § quand. iud. sent. profer.*

(b) de quibus infra, ubi causa formalis considerabitur, sese offeret dicendi locus.

(c) Illæ

(c) Illæ sunt, quando singuli spondentes promittunt hoc modo: si in crastinum pluet, N N. si. tibi solvam, si tu nunc consentis ac repromittis. Si non pluet aut vice versâ, Sponsio mutua perfecta est. In vernacula hæc formula usitata est: Ich wil mit dir vmb N. N. si. wetten/ wann dieses oder jenes geschichte/ oder geschehen ist. Hæc verò sunt, quando unus saltem promittit, alter verò acceptat tali modo: wann es morgen regnet/ so wil ich dir N. N. si. zugeben verpflichtet seyn. Et harum exempla in jure multa occurrunt, *vid. l. 108. de V.O.*

I V.

Causa efficiens remota est vel jus Gentium (a) vel Civile; (b) propinqua sunt personæ spondentes. (c)

(a) s. æquitas naturalis, quæ dicitur: ea quæ semel placuerunt servanda *l. 1. ff. de pact. nec fidem fallendam esse, l. 1. ff. de const. pecun.*

(b) *l. 17. § fin. de presc. verb.* In specie autem, quando super ludo virtutis causâ facta, sponsio fit, L. Titia, Publicia & Cornelia *d. l. 3. de aleat.*

(c) quæ videlicet pacisci ac stipulari possunt, rerumq; suarum liberam administrationem habent. Sunt autem illæ omnes, quibus unum ex his specialiter interdictum non est, secundum regulam *in l. 43. ff. de procurat. l. 1. § 1. l. 18. ff. de testib. & al. similibus*, quia sponsiones facere est de genere permissorum *supr. θ 1. lit. b.* Hinc prohibitos invenimus quosdam naturâ, veluti sunt: 1. Infantes *§ 9. J. de inut. stipul. l. 1. § 13. ff. de O. & A.* 2. furiosi ac mente capti *d. l. 1. § 12. de O. & A. § 8. J. d. t.* & his similes. 3. valdè inebriati, propter mentis exilium *c. à crapula 14. de vit. & honest. Cler. c. sanè discimus 7. caus. 15. q. 1.* 4. muti ac surdi, si per modum stipulationis sponsio ineunda *§ 7. J. d. t. d. l. 1. § pen. & ult. secus si per pactum, l. 48. ff. eod. tit. l. 4. § 1. ff. de pact.* Quosdam lege, ut Impuberes sine tutorum autoritate, *d. § 9. J. de inut. stipul. pr. J. de autor. tut. l. 9. ff. eod.*
Servi;

Servi, qui ex contractibus non obligantur § 6. *J. de inutil. stipul. l. 14. l. 43. ff. de O. & A.* & proprii nihil habent § 3. *J. per quas person. cuiq; acquir. l. 10. § 1. de A. R. O.* Illi, quibus bonis interdictum est, *l. is cui 6. ff. de V. O.* Minores curatores habentes, cum enim hi rerum suarum administrationem non habeant, sed curatores illorum, *pr. J. de curat. l. sciendum 20 ff. de R. N.* sequitur eos spondendo alienare nihil quicquam posse *l. 3. C. de restitut. in integr.* quamvis se personaliter obligare nulla impediatur lex s. constitutio *l. 101 de V. O. l. 43. de O. & A. Fach. 3. controu. 9. Vultej. discept. schol. 16. Arum. disp. ad π. 22. θ 17.* Eadem est prohibitio de Jure saxon. in foeminis, quoad bona immobilia, *art. 31. & 45. lib. 1. Landr. constit. Elect. 15. p. 2. Rauchb. p. 1. q. 32. n. 91. Berl. p. 2. pr. concl. 17. n. 3. & 85.*

V.

Materia circa quam sponsiones facere licet, est omnis causa honesta. (a) Materia in qua, sunt res in commercio positæ (b)

(a) id est, à jure, ac bonis moribus non improbata, § quod turpi 23. *J. de inutil. stip. l. 7. § 3. & 16. ff. de pact. l. generaliter 26. l. 35. l. 61. l. 134. ff. de V. O.* sub omni itaq; conditione, cui nihil turpitudinis inest, sponsiones fieri possunt, sive sit casualis s. potestativa. Casualis exemplum refert Gometz. *p. 2. var. resol. c. 11. n. 4.* an aliqua filium vel filiam sit paritura, *Strach. tr. hic p. 4. § ex omnibus 12.* cui ille etiam vincit, cujus sexui hermaphroditus natus quam proximè accedit *per l. queritur 10. ff. de stat. hom.* Aliud 2. tradunt Dd. si sponsio super morte tertii, ubi scil. nulla suspicio de insidiis vitæ ipsius subest, facta sit puta quòd Papa, hic vel ille Rex aut Dux exercitûs sit mortuû, aut intra certum tempus moriturus, quoniam omnibus hominibus terminus vitæ est mors, *Nov. 1. c. 1. in fin. Matth. de Aff. d. decis. n. 3. Strach. tr. hic p. 4. § 1. per tot.* Aliud 3. proponitur *in l. 57. 63. 64.* quòd Titius consul factus sit. 4. Exempl. potest esse,

esse, quod hæc vel illa urbs aut fortalitium expugnatum sit, uti
 ejusmodi sponsiones plures hæctenus tempore belli Germ.
 factas audivimus. 5. quod cras erit pluvia, nix &c. Strach.
tr. hic p. 4. § ex predictis 3. n. 1. 6. Si hoc mense comitia fini-
 entur, Schneid. *cit. loc.* 7. Usitatissima inter mercatores ista
 conventio super mercium asssecuratione, si navis Titii in por-
 tum salva pervenerit, accipiat Sejus 10. aut 100. si verò perie-
 rit, solvat mercium valorem, quam habet Afflict. *d. decis. n. 4.*
 Str. *tr. hic p. 4. § item querit Paulus 8.* Atq; hæc exempla spon-
 sionis casualis possunt sufficere. Sponsio, quæ sub conditione
 potestativa fit, est in duplici consideratione; quandoq; enim
 in extranei voluntatem confertur, quandoq; in alterutrius de
 spondentibus. Illius exempla sunt *in d. l. à Titio 108.* si qua
 mihi nuptura sit, tot vel tot dare spondes, aut si quis Capito-
 lium ascenderit &c. Hujus *in d. l. periculi pretium 5. de naut.*
faen. si manumittas, si non illud facias &c. Ejusdem generis
 est sponsio super instrumento ostendendo aut non ostenden-
 do Afflict. *d. decis.* Strach. *tr. hic p. 4. § habes 11.* Item illa con-
 ventio, ubi quis ab amico certam summam pecuniæ stipula-
 tur; si ulterius luserit, quia ex bonis moribus concepta est &
 hinc valida, *l. ex ea parte 121. § 1. ff. de V. O.* Str. *tr. hic § hic etiã 6.*
 Ex quarum enumeratione patet, illas sponsiones omnes esse
 prohibitas, quæ vel causam inhonestam vel planè nullam ha-
 bent *d. l. generaliter 26. de V. O. ibiq; Gotbofr. in not.* adeò ut nec
 juramento confirmari possint *c. non est obligatorium de R. J. in 6.*
 hinc sponsiones, si furtum commiseris, homicidium feceris,
 puellam corrueris, aut rapueris, vel non: de jure non subsi-
 stere, in aprico est, *per d. l. generaliter 26. § l. 27. § pacta 4. ff.*
de pact. Ejusdem farinae sunt illæ, quæ super ludis, in quibus
 pro virtute certamen non fit, ut est ludus de pari aut impari,
 gerad oder ungerad/ineuntur *d. l. 2. § 1. § l. seq. ff. de aleat.* Quod
 in tantum verum putamus, ut nec spectatores ejusmodi ludo-
 rum spõsiones facere queant, tum ob text. generalitatem *d. l. 3.*

B
 tum



tum etiam quod inspicientes ludum prohibitum cum ipsis ludo-
foribus eidem poenae subiciantur *in Nov. 123. c. 3. & ex hac de-
sumta Auth. interdiciamus post l. 17. C. de Episc. & Cler. Str. tr. hic
& finge modo 5.* Quibus quoque tanquam bonis moribus contra-
ria accensenda est sponsio: uter alterum in edendo aut biben-
do superaverit *d. c. sane 7. c. 15. q. 1. & c. à crapula de vil. & honest.
Cler. Str. tr. hic p. 4. Sitem quero 7.* Ad hanc classem propter
nimium luxum merito etiam refertur sponsio ista memorabi-
lis Cleopatrae & Antonii, quae legitur apud Plin. *lib. 9. nat. hist.
c. 35.* Haec, cum exquisitis quotidiè Antonii saginaretur epu-
lis, superbo fastu lautitiam ejus apparatusque omnem obtre-
ctans, quarente eo, quid astrui magnificentius possit? Unà se
coenam sexcenties H. S. absumenturam respondit: cupiebat disce-
re Antonius, sed fieri posse non arbitrabatur, sponsionibus
factis postero die, quo iudicium sponsionis agebatur, magni-
ficam illa at vulgarem apposuit coenam: tandem ex praecepto
ministri vas aceto completum Cleopatrae posuere, in quod
margaritam immisit, singulare illud & verè unicum naturae
mirae magnitudinis & splendoris opus, quod Regum Orientis
proprium fuit: immersum ac liquefactum absorbuit: injecit
manum alteri: L. Plautius iudex sponsionis ejus victum An-
tonium pronunciavit.

(b) *Sidem juris 2. J. de inut. stipul.* scil. spondentium, si enim
res, super qua sponsio facta est, in commercio victoris non ex-
istit, inutiliter stipulatus est, licet hic praetextus victo hautqua-
quam profit *l. multum interest 34. ff. de V. O.* Quod autem om-
nes res in commercio hominum existentes sponsionibus
sint obnoxiae, probatur *1. ex d. l. 2. & 3. ff. de aleat.* ubi in pe-
cunia sponsiones fieri conceditur, pecuniae quippe verbum
esse generalissimum, non modò pecuniam numeratam, ve-
rum etiam omnes res alias tam soli quam mobiles, corpora
& jura in se complectens *ex S. alleg. l. 178. & l. 222. de V. S. doce-
mur. 2. ex saepe cit. leg. 17. Sult. de praescr. verb.* ubi annuli in
spon-

sponsionem deducuntur. Quibus consequens est; quantita-
tem in jure definitam non esse, quam in spondendo excedere
non liceat, quare non solum ultra solidum, sed etiam ultra
100. fl. sponsiones factæ, validæ erunt, etiam de jure Saxon.
per ea quæ *sup. tb. 1. lit. c. dicta sunt*, Dis. Chil. König *in suo*
process. c. 58. Quod tamen cum hoc temperamento acceptum
volumus, ut si nimis magnæ & immodicæ sint, judex ex bono
& æquo eas moderari valeat, quemadmodum in hanc rem
etiam peculiare extat statutum Francofurdi ad Mœnum,
quod citat Wehner. d. loc. ex quo seqq. annotare libet:
Darumb auch solche Bettungs Sachen / wenn sie ins Recht ge-
langen (wie eslich mal geschehen) nicht nach der Scherffe der
Rechten / sondern der Billigkeit vnd Gelegenheit aller Um-
stände nach sollen entscheiden werden.

VI.

Forma sponsionum essentialis, (a) est sponta-
nea conventio, (b) certam conditionem habens an-
nexam, (c) Accidentaliter verò, consistit in seqq. ut 1.
fiant vel nudo pacto, (d) vel stipulatione, (e) vel ipsi-
us rei in sponsionem deductæ depositione (f) vel 2.
sub æquali aut inæquali pecuniâ (g) vel 3. quod in-
terdum à duobus, interdum à pluribus ineantur. (b)

(a) s. substantialis, quæ demtâ vel destructâ, res ipsa de-
struitur atq; subsistere nequit, uti post Logicos *ex. l. 9. § 3. in*
fin. ff. ad exhib. scimus.

(b) h. e. libera, omnis erroris ac dissensus expers. Unde
is, qui dolo ad spondendum inductus est, non solum excep-
tione doli se tueri, sed etiam adversarium pro eo quod inter-
est, convenire potest, uti hoc probat & exemplificat *Str. tr. hic*
§ item quæro 14. quodam Vincentio, qui sciens Lucretiam pe-
perisse foemellam, hoc dissimulato Sempronium ad sponsio-

B 2

nem

257
nem provocat super futuro partu. Ejusmodi sponsionum exempla multa alia leguntur apud ipsum & alios Dd. & quotidiè inter mercatores occurrunt, quas tamen dolo detecto juris executionem non habere in propatulo est. Idem dicendum, si quis in verbis captus est, quia captiones, ut æquitati & bonæ fidei contrarias, jura generaliter omnes respuunt *l. pen. ff. ad exhib. § sed quia 7. J. de fideic. hered. Str. tr. hic p. 4. § illud postremo 16.*

(c) hæc semper adesse debet, quia est loco causæ, imò ipsa causa, nec de alia causa curandum *quod d. l. si quis cum debitore 39. ff. de jurejur. facit text. in l. solent 15. vers. qui si solutum ff. de presc. verb. Str. tr. hic p. 2. n. 4.* quamvis talis causa non sit, quæ pro facto aut dato *juxta tit. de condict. caus. dat. caus. non sec. § fin. caus. &c.* accipitur, cum & illi sæpè, qui ejusmodi causam non habent & ad quos nihil commodi aut incommodi ex conditionis impletione pervenire potest, sponsiones facere soleant, ut exempla *d. l. 108. § al.* abunde probant.

(d) in nudis placiti finibus consistens, uti describitur *in l. 1. § 2. de pact.* quod vestitur per conditionem adjectam, atq; sic ad agendum efficax est *Aff. d. decis. n. 2.* scil. quoad Jus Civile. De Jure enim Canon. ut & hodierna consuetudine (qua stipulationum usus prorsus in pacta transmutatus est, *Treutl. vol. 1. disp. 6. § 9. lit. b. ibiq; alleg. Dd.*) ex quovis nudo pacto agi potest *c. 1. de pact.* quod multò magis dicendum de sponsionibus à mercatoribus initis, quorum causæ omnes ex æquo & bono decidendæ sunt, *Str. hic. p. 2. v. in proposita vero specie. § tract. quom. in caus. merc. proced. tit. de except. n. 15.* Faciunt text. *in d. l. 5. § 1. de naut. fœn. § d. l. 39. de jurejur.* Ex quibus hæc fluit seqvela: quod cum pacta inter absentes per literas & per nuncium quoq; fieri possint, *l. 2. ff. de pact.* ergo & sponsiones *arg. d. l. 17. § fin. de presc. verb.*

(e) quæ est verborum conceptio, quibus is, qui interrogatur, se daturum facturumve quod interrogatus est, respondet
l. 5. § 1.

l. 5. § 1. de V. O. In his terris stipulationes & sic sponsiones, sicut etiam alii contractus pleriq; per manuum dationem & impressionem fieri solent, quod deinde instrumentis desuper confectis etiam inseritur, h. m. **Und habens mit handgebender Treu einander zugesagt.** Licet solennitas hæc non sit de substantia illorum, sed majoris fidei ac certitudinis ergo adhibeatur, ut inde constet, se deliberato animo ad contrahendum accessisse, & per dextram utrinq; datam suam fidem fallere nolle, Georg. Schults. *d. l. lit. a. in fin.* Exempla, hujusmodi sponsionis *vid. in l. 108. de V. O.*

(f) vel penes tertium, ut is conditione impletâ, eam victori reddat *d. l. 17. § fin. de præsc. verb.* vel penes unum ex spondentibus, ut in eventum conditionis existentis retineat, aut non existentis unâ cum ea aliquid amplius victori solvat, *d. l. periculi s. pr. de naut. foen.* qui tamen spondendi modus semper unum ex supradictis duobus pactum nempe aut stipulationem habet comitē sicut ex aliat. exemplis colligere licet.

(g) quæ æqualitas aut inæqualitas in sponsionibus mutuis saltem consideranda venit, e. c. quando alter 10. aut 100. & alter totidem promittit, æqualis summa est. Quando autem alter 10, alter verò tria, quatuor, aut sexcenta tanta promittit, summa inæqualis est. Et ejusmodi sponsiones inæquales ratas esse confirmat Str. *tr. hic p. 4. § quæro igitur 13. n. 1. & p. 2. n. 4.* tum: quod ex certa scientia contrahentes convenerint, quare victus de inæqualitate ac fraude (utpote quæ scientibus ac volentibus non fit *l. 1. § 5. ff. de injur.*) conqveri neqvit *l. de fidei commissio. 11. C. de transact.* tum: quia propter incertitudinem & dubium rei eventum multa rata habentur, quæ aliàs non subsistunt *l. 1. C. de pact. c. in civitate 6. & c. fin. de usur.* tum etiam: quod id, quod sorte fit, mutari neqvit, siquidem illa superiorem non habet in mundo *N. 69. c. 4. § 1. circ. fin.* Ex quibus rationibus concludendum videtur *L. 2. C. de rescindenda vend.* (ad contractus *διπλέυξης.* duntaxat pertinens Treutl.

B 3

2. disp.



2. disp. 2. § 11. lit. c) in sponsionibus locum non habere, Dis.
Strach. d. l. si deceptio ultra dimidium est in magna quantita-
te, n. 4. 5.

(b) Exempla passim sunt obvia, vid. tit. J. ff. § C. de V. O.
de contrab. § commit. stipul. § de duob. reis. § c.

VII.

Finis sponsionum est, ut victus victori rem con-
ventam præstet.

Intellige finem principalem. Minus principalis enim,
ac causa impulsiva, quæ multi ad sponsiones ineundas moven-
tur, est interdum ostentatio & mera instantia, interdum incli-
natio illius, cuius causa fiunt, aut simile quid.

VIII.

Effectus spectatur in actionibus, quæ pro diver-
sitate modorum, quibus sponsiones perficiuntur
sunt diversæ, nimirum: actio præscriptis verbis (a)
ex stipulatu (b) & ex pacto. (c)

(a) quæ competit tam contra ipsos spondentes, qui con-
ditionem, quam possunt, implere recusant, quia perinde ha-
betur, si per eum stat, quo minus impleatur conditio, ac si im-
pleta sit, l. 24. ff. de condit. § demonstr. l. 35. l. 85. § ult. de V. O.
facit textus in l. si jactum retis 22. ff. de act. emt. d. l. 5. de nau.
faen. Str. tr. hic p. 4. § reliquum est 16. § ult. quam contra ter-
tium, penes quem res deposita est, & quidem si partibus præ-
sentibus depositio facta est, actio directa, iis verò absentibus,
utilis locum habet, Strach. d. loc.

(b) s. ex stipulatione, quæ duplex est, actio ex stipulatu in
specie sic dicta; si stipulatio incerta est. Et conditio certi, si
certa est, pr. J. de V. O. Str. d. l. n. 2. vers. in secundo vero genere.
Notandum autem hic incertum dici, non quod toto suo ge-
nere incertum est, cuius generis stipulationes jura non agno-
scunt,

unt, *l. triticum 94. l. ita stipulatus 115. pr. de V. O.* sed quod spe-
ie tantum incertum est, quid autem, quale, quantumve sit, facile de-
clarari potest, *l. in stipulationibus 54. pr. l. ubi autem 75. pr. § seq. d. t.*

(c) Licet namque pactum nudum regulariter actionem de
jure civili efficacem producere non possit, sed saltem excepti-
onem *l. 7. § 4. ff. de pact.* fallit tamen hoc, si certa causa subest
d. § 4. § preced. 2. Quocirca cum conditiones sponsonibus
adjici solitae pro causa habeantur, ut *§. 6. lit. c.* ostendimus, adeo
mirum non est, quod sponsones nudo pacto conciliatae actio-
nes pariant, praesertim cum ea ut plurimum inter mercatores
(quorum causas ex aequo & bono dijudicandas esse docuit
Str. alleg. loc. frequententur.

I X.

Affinia sunt pacta (a) stipulationes (b) donatio-
nes (c) conditiones (d) & similia (e)

(a) utpote, quae etiam non nisi de re honesta fieri possunt
l. 28. ff. de pact.

(b) Conveniunt autem in eo, quod sicut in stipulationibus
is, qui interrogatur, se daturum facturumve, id, quod rogatus
est, respondet, *l. 5. § stipulatio 1. de V. O.* ita & spondentes invi-
cem pro conditionis existentia promittunt ac respondent, un-
de etiam pleraque sponsones intervenientibus stipulationibus
ineuntur, exemplis supra relatis.

(c) nam quemadmodum donatio nullo jure cogente, ex
sola animi benignitate fit ac conceditur *l. donari 29. pr. ff. de
donat. l. donari 82. ff. de R. J.* sic quoque sponsonum necessari-
um requisitum esse diximus, ut non coacte, sed libero animi
motu fiant, quanquam non sicut illae liberalitatis exercendae,
sed ut plurimum lucri captandi ergo ineantur. Et sicut in do-
nationibus proprie sic dictis donator solum ad gratis dandum
obligatur *l. 35. C. de donat.* ita in sponsonibus victus duntaxat.

(d) cum quibus tantam habent affinitatem, ut etiam Ictus
Sabinus, annulos sponsonis causa apud tertium depositos,
illis



illis repetendos esse existimaverit *d. § fin. l. 17. de presc. verb.*

(e) veluti sunt: actio furti *d. § emptio rei futura. l. 11. § fin. § l. seq. ff. de act. emt. nauticum foenus, d. l. 5. § t. t. de naut. foen. ludi virtutis causa facti l. 2. ff. de aleat. item vetus illa actio calumniae desuetudine jam abolita, cujus mentio fit in *fin. § 1. J. de pæn. tem. litig. § c.**

X.

Adversantur sponsonibus & illis contraria sunt dissensus (a) error (b) dolus (c) vis, metus (d) captatio in verbis (e) causa inhonesta (f) & alia, quæ ex *th. 4. 5. & 6.* huc repetenda sunt.

(a) *§ si de alia 22. J. de inut. stipul.*

(b) qui enim errat, non cõsentit *l. 116. § ult. ff. de R. J. l. 15. de jurisd. l. 2. pr. de judic. E. nec spondet.*

(c) *l. 7. § 7. 9. § seqq. ff. de pact.*

(d) nihil quippe consensui tam contrarium est, quàm vis ac metus, *d. l. 116. pr. de R. J. l. 1. § t. t. quod met. caus. l. 2. ff. de dol. mal. § met. except.*

(e) per ea quæ *supra th. 6. lit. b.* dicta sunt.

(f) quando videlicet in materia est vitium, *§ quod turpi 23. J. de inut. stipul. d. l. 3. de aleat.* quæ de re etiam *supra in th. 6.* actum est, ad quam brevitas studio nos remittentes,

filum disputationis nostræ hic ab-
rumpimus.

F I N I S.


ULB Halle
006 682 146


3



KD77







B.I.G.

Farbkarte #13

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



635

IDICA

IBUS,

ius.

orum Ordinis

ssimi

ACHERI,

nit

EB Lipsiensis.

ajoris Majori.

nsvetis.

IANIS.

XXVIII. 42i

24

(2)

